

.xx. OMELIA IN QUADRAGESIMA . DOMINICA .i.

AUdite filioli mei et intelligite . quomodo sacra  
scriptura uos ammonet . et ad regna caelorum  
inuitat . et uiam ostendit . Quomodo mala mundi  
istius euadere possitis . et ad uitam aeternam christo  
adiuuante peruenire . Clamat enim dominus per prophetam  
ad sacerdotes qui presunt populo . ut uos debeant  
ammonere . et annuntiare uobis uiam ueritatis .  
Dicit enim . Clama ne cesses . quasi tuba exalta  
uocem tuam . et annuntia populo meo peccata  
eorum . et domui iacob scelera eorum . Quod si non  
annuntiaueris iniquo iniquitatem suam . sanguinem  
/38v/ eius de manu tua requiram . [.ii.] Uidetis ergo fratres karissimi .  
si diligenter adtenditis . quod omnes sacerdotes domini .  
non solum episcopi . sed etiam presbiteri et ministri ecclesi  
arum . in grandi sunt periculo . si dei sermones uobis  
non annuntiauerint . Unde dominus . per prophetam dicit .  
Audiens ex ore meo sermonem . annuntiabis eis ex  
me . ex me non ex te . uerba mea loqueris . non est  
quod ex eis tamquam de tuis infleris<sup>1</sup> . Considerate ergo  
fratres . si pro semetipso unusquisque uix poterit in die  
iudicii reddere rationem . Quid de sacerdotibus fu-  
turum est a quibus omnium anime requirentur . [.iii.] In his  
siquidem omnibus necesse est sacerdotibus ut uobis uiam  
dei annuntient . et semitam ostendant uobis . per quam  
uitam possitis habere aeternam . Sed tamen  
cauendum est uobis fratres karissimi . quia si nobis periculosum  
est non annuntiare . multo magis uobis perniciosius  
erit . si nolueritis implere que annuntiauerimus

uobis . dicente domino per prophetam . Si autem annun-  
tiant te ad impium ut a uis suis conuertatur . ipse  
conuersus non erit . in iniquitatibus suis morietur . et tu  
animam tuam de uindicta eius liberasti . [.iiii.] Vnde quidam  
sapiens . ammonet sacerdotes dicens . Hortamur  
uos paratos esse ad docendas plebes . Qui scit scrip-  
turas . prædicet scripturas . qui uero nescit . saltem hoc  
quod notissimum est plebibus dicat ; ut declinent  
a malo et faciant bonum . inquirant pacem . et sequatur<sup>2</sup>  
eam . Quia oculi domini super iustos . et aures eius ad preces  
eorum ; Vultus autem domini super facientes mala . ut perdat  
/39r/ de terra memoriam eorum . [.v.] Nullus ergo se excusare po-  
terit . quod non habeat linguam . unde possit aliquem  
aedificare . Mox enim ut quemlibet errare uiderit .  
prout ualeat aut arguendo . aut obsecrando . aut in-  
crepando . ab errore retrahat . et ad peragendum  
opus bonum . sepius hortetur . In primis igitur ho-  
mo christianus hoc debet scire . et in corde firmiter  
tenere . quod primum et maximum mandatum est domino  
dicente . Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo .  
et ex tota anima tua . et tota uirtute tua . Hoc  
quidem nobis demonstrat . ut toto intellectu . tota  
uoluntate et ex omni memoria deum semper diligamus .  
[.vi.] Addidit quoque . secundum simile est huic . Diliges proximum  
tuum . sicut teipsum . Hoc est siquidem . quod in aeuan-  
gelio scriptum est . Omnia quecumque uultis ut  
faciant uobis homines . ita et uos facite eis . Hęc est  
ergo uera caritas . que deum diligit plusquam se . et qui  
nichil uult alio facere . nisi quod sibi uult fieri . Si hęc  
uero amore fratres in animo posueritis . et ista prima  
precepta cum summa reuerentia . et cum gaudio uo-

lueritis suscipere . tunc ad alia bona deo adiuuan-  
te . poteritis peruenire . Promisit enim his qui diligunt  
eum . resurrectionem post mortem . et uitam perpetuam . et di-  
licias paradysi . et gaudia cum angelis . Unde ibi post  
haec stabilitas . et securitas iuuentutis . et pax perpetua  
diligentibus deum . et amantibus illum . Haec autem per assidui-  
tatem et perseuerantiam boni operis . et per continentiam  
de malo et facientibus bona . promissa sunt . Scire ergo  
/39v/ debetis fratres karissimi quod haec quadragesima sicut quidam

ait<sup>3</sup> . Cum summa obseruatione custodiri  
debet . ut ieiunium in ea . preter dies dominicos .  
qui de abstinentia subtracti sunt . nullatenus  
soluatur . quia ipsi dies decimę sunt anni nostri . quos  
cum omni religione sanctitatis transigere debemus .  
[.viii.] Nulla in his occasio sit ad soluendum ieiunium .  
quia alio tempore solet ieiunium caritatis causa  
disolui . isto uero nullatenus debet . quia in alio tem-  
pore ieiunare inuoluntate et arbitrio cuiuslibet  
positum est . in hoc uero non ieiunare . preceptum  
domini transcendere est . Et in alio tempore ieiuna-  
re premium abstinentię adquirere est ; in hoc  
uero preter infirmos aut paruulos . quisquis non  
ieiunat . poenam sibi acquirit . quia in eosdem  
dies dominus et per moysen et per heliam . et per semetipsum .  
sacro ieiunio consecrauit . In diebus quoque ieiunii  
huius temporis fratres karissimi . aelemosina frequentius  
facienda est . et cybum de quo quisque uti debu-  
erat si non ieiunaret . pauperibus erogare debet .  
quia ieiunare et cybos prandii ad cęnam reserua-  
re . non mercedis . sed cyborum est incrementum . [.viii.] Cauen-  
dum est quoque quod multis in usu est . solent enim

plures qui se ieiunare putant . mox ut signum  
audierint ad horam nonam manducare . Qui  
nullatenus ieiunare credendi sunt . si ante man  
ducauerint . quam uespertinum celebretur officium .  
Concurrentum est enim ad missas . et postea auditis  
/40r/ missarum solemnitatibus siue uespertinis officiis . lar  
gitis prius elemosinis . ad cybum accedendum est .  
si uero aliquis necessitate constrictus fuerit ut ad  
missam conuenire non ualeat . aestimata uespertina  
hora et completa oratione sua . ieiunium soluere debet .  
Sciendum est quoque . quod in singulis diebus domini  
cis in quadragesima . preter hos qui excommunicati  
sunt . sacramenta corporis et sanguinis christi ab omnibus  
fidelibus sumenda sunt . et in cena domini . et in uigilia pa  
sche . et in die resurrectionis domini . penitus omnibus commu  
nicandum est christianis . et ipsi dies paschalis ebdomade  
omnes aequali religione colendi sunt . [x.] Ammonendus  
est igitur populus . ut ad sacrosanctum sacramentum  
corporis et sanguinis domini . nequaquam indifferenter  
accedat . Nec ab hoc nimium abstineat . sed cum  
omni diligentia atque prudentia eligat tempus . quando  
aliquandiu ab opere coniugali abstineat . et uitiis  
se purget . et uirtutibus exornet . Aelemosinis et ora  
tionibus insistat . et sic ad tantum sacramentum accedat .  
quia sicut periculosum est impurum quemque ad tan  
tum sacramentum accedere . Ita etiam periculosum  
est ab hoc prolixo tempore abstinere . nisi qui excom  
municati sunt . Caeteris uero temporibus commu  
nicandum est religiosis quibusque sancte uiuentibus . qui  
pene omni die id faciunt . Haec precepta implendi .  
uirtutem nobis prestare dignetur . saluator mun

di . qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat . in secula  
seculorum . amen .

<sup>1</sup> infleris] *sic pro impleris*

<sup>2</sup> sequatur] *sic pro sequantur*

<sup>3</sup> [. . .] ait] *where the gap appears in Pembroke 25 other manuscripts read sapiens ait*